



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Diatribai De Primis Veteris Frisiae Apostolis, Sive  
Dissertationes, quibus eoru[m] anni, actus, res,  
personae, loca, tempora in eorundem actis occurrentia,  
discutiuntur, illustrantur, erroresque ab ...**

**Bosschaerts, Willibrord**

**Mechliniae, 1650**

43. Quidnam praeterea egerit in 1. profectione Romae quaeque inde  
extulerit S. Willibrordus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10958**

## DISSERTATIO XLII.

Quo anno Romam primò iuerit.

**Q**uo anno primam profectiōem instituerit, non tradunt historiæ. Vero simile mihi est iuisse eodē anno aduentus, scilicet 690, idque tempore autūnali, quod annitēpus ad urbem hinc est commodissimum. Vt quid enim in sequentem annū distulisset gentium conuersione ardentissimus? Rediisse verò in principio anni sequentis, quo tempore Romā cōmodè reditur. Festinus est amor, nec moram patitur.

## DISSERTATIO XLIII.

Quidnam præterea egerit in 1. profectiōe  
Romæ quæque inde extulerit  
S. Willibrordus.

**Q**uid præter petitam, & obtentam prædicandi licentiā, de qua iam, sit actum, dicit Bedā lib. 5. historiæ cap. 12: *Ut cum eius benedictione desideratum Euangelisandigentibus opus iniret. Simul (vt addit Beda) & Reliquias Beatorum Apostolorum ac Martyrum Christi, ab eo (scilicet Pontifice) se sperans accipere, vt dum in gente cui prædicaret, destructis Idolis Ecclesias institueret, haberet in promptu reliquias Sanctorum quas ibi introduceret quibusq; ibidem depositis, consequenter in earum honorem, quorum essent illa singula, queq; loca dedicaret. Sed & alia per plura que tanti operis negotium perquirebat vel ibi discere vel inde accipere cupiebat. In quibus omnibus cum sui*  
vaticompos

*vaticompos esset effectus, ad prædicandum redyt.* Quæ singula notanda sunt contra eos qui S. Willibrordum eiusque socios Catholico-Romanos negare conantur. Petijt ille benedictionem quâ desideratum Euangelisandi gentibus opus iniret. Solent fideles, vti nunc, ita & olim, præsertim cum rem arduam aggrediuntur, Benedictionem expetere, & reuerenter accipere à Dei ministris: Efficax enim est Benedictio Sacerdotalis. Magnæ efficacix erat in veteri testamento data à Patriarchis, Patribus-familiâs, aut Primogenitis, qui erant Sacerdotes aut instar Sacerdotum, vt patet Genesis 27. & Numerorum 6. vbi Deus Moyli præscribit quomodo benedicat Populo & promittit se benedicturum id est bona largiturum Populo sic à Sacerdote benedicto. Quid ni ergo in nouo Testamento vbi copiosior gratia Sacerdotibus tanquam Dei ministris, & vicarijs dispensatur? At quamuis illa benedictio in & ex Sacris mysterijs præstantissimam vim nanciscatur, de qua Diuus Augustinus epist. 59. ad quæst. 5. *Cum populus ad altare benedicatur, cum Antistites misericordissimæ offerunt potestati:* tamen in priuatis congressibus à fidelibus expetita, fructu ingenti non caret. Idem Augustinus lib. 22. de ciuitate Dei cap. 8. commemorans se cum alijs, cum necdum esset Episcopus, egrotum quendam amicum, vbi & præfens Episcopus loci erat, visitasse, ac visitatione peracta discessisse, ait: *Acceptâ ab Episcopo benedictione discessimus.* Nectarius Ciuis Tarsensis creatus Episcopus Constantinopolitanus in Concilio Constantinopolitano, reditum in patriam cogitans, venit prius ad Diodorum Tarsi Episcopum Dioecesanum suum vt ab eo cum precatone benedictionem acciperet, vt narrat Nicepho. Histo. Eccl. lib. 12. cap. 12. Horum probè gnarus S. Willibrordus & suo, & vt credibile est, sociorum nomine expetijt & obtinuit. Quam vim sortita sit Pontificalis illa benedictio

152 DE PRIMIS VETERIS FRISIÆ APOSTOLIS  
benedictio, secuti fructus abundè ostendunt.

*Simul & Reliquias Beatorum Apostolorum ac Martyrum &c.*  
Et has magna aviditate semper desiderarunt Aposto-  
lici viri & omnes Catholici. *Iacobi cathedra* ait Eusebius Ec-  
cle. Histo. lib. 7. cap. 15. *qui primus in terris Episcopus ab ipso*  
*Salvatore & ab Apostolis in Hierosolymis est electus, quemque fratrem*  
*Domini volumina diuina designant, usque in hodiernum diem inibi*  
*conseruatur: atque in ea sedent omnes qui usque ad presens tem-*  
*pus sedis illius sacerdotium sortiuntur. Seruatur ergo cum ingenti*  
*studio velut à maioribus tradita memoria sanctitatis, & cum mag-*  
*na veneratione habetur vel vetustatis, vel prima sacerdotij sanctifi-*  
*cationis obtentu.*

Sanctus Athanasius in vita B. Antonij, scribit sibi ab An-  
tonio relictum pallium tritum, & addit: Legatarium An-  
tonij benedicti, qui tritum pallium cum melote imperio  
eius meruerat accipere, Antonium in Antonij muneribus  
amplecti, & tanquam magna hæreditate ditatum læ-  
tanter per vestimentum illud recordari imaginem sancti-  
tatis.

Gregorius Nyssenus oratione in Theodorum Martyrem  
initio orationis: *Anima quidem, inquit, ex quo sublimis abijt*  
*in suo loco requiescit, & corpore soluta, cum sui similibus vnà viuit:*  
*Corpus vero venerandum, & immaculatum ipsius instrumentum cum*  
*multo honore, & cultu compositum, atq; ornatum, in Augusto sacrosq;*  
*loco situm est.* Deinde narrat multis verbis eos, qui templa  
martyrum ingrediuntur, primò mirari molem ædificij,  
deinde parietes & pauimentum pulchrè ornata, tum sta-  
tuas & picturas varias: & subiungit tandem: *Vbi hys inquit,*  
*oculos oblectauit, cepit deinceps ipsi conditorio appropinquare, sancti-*  
*ficationem, ac benedictionem contrectationem eius esse credens: quod*  
*si quis etiam puluerem, quo conditorium, vbi martyr corpus quies-*  
*cit, oblitum est, auferre permittat, promunere puluis accipitur, ac*  
*samquam*

namque res magni pretij condenda terra colligitur : nam ipsas attingere reliquias si quando aliqua eiusmodi prospera fortuna contingat, ut id facere liceat, quam id sit multum desiderandum, & optandum ac summarum precum donum, sciunt experti, & eius desiderij compositores facti.

Patet id ipsum ex earundem translationibus, quæ magno non populorum solum, sed & principum studio, contentione & ingenti pompa celebrantur, ut legere est apud S. Hieronimum libr. contra Vigilantium. Zozomenum libr. 7. cap. 10. Theodoretum libr. 5. cap. 36. Euagrium libr. 1. cap. 16.

Finis ob quæ reliquias expetijt & impetrauit, fuit, ut dñi in gente cui predicaret destructis Idolis Ecclesias institueret, haberet in proprio Reliquias S. S. quas ibi introduceret quibusq; ibidē depositis, consequenter in eorum honorē, quorū essent illa singula, quæq; loca dedicaret. Censet hinc S. Willibrordus Basilicas siue Ecclesias posse erigi in honorem S. S. quod à fidei primordijs in vfu fuit. Et hoc ille practicauit excitando Ecclesias S. Crucis, Saluatoris, S. Martini & c. Templum Egmundanum ipsum inaugurasse refert Doufa lib. 8. Anna, Hollandiæ. Idem egisse S. Swibertum cæterosque Sodales, acta eorum manifestant.

Introductionis Reliquiarum in Ecclesias ædificandas siue ædificatas, de positionis in altaribus, antiquissima sunt exempla. Vnde exstat Canon de consecrati. dist. 1. cap. placuit quo docetur sine S. S. Reliquijs non fieri consecrationem altaris. Vide Ambrosium de institutione virginis, ad sororem, de inuentione Sanctorum Geruasij & Protasij.

Sed & aliaper plura quæ tanti operis negotium querebat, vel ibi discere vel inde accipere cupiebat. Per quæ intelliguntur externa

Symbola & Ceremoniæ quas in Sacramentis conficiendis, vel administrandis, ad Dei cultum, populi deuotionem, Ecclesia Catholica exercitat, de quibus Dionysius Areopagita Diui Pauli discipulus Ecclesi. hierarch. cap. 10. *Principes nostri (Apostoli) visibilibus signis caelestia sacramenta texerunt, & sub humanis imaginibus res diuinas tradiderunt, & in materiali figura maiestatem spiritualem representarunt, ut pro modo ac ratione captus nostri figuris visibilibus quasi adminiculis quibusdam ad mysteriorum augustiorem intelligentiam subueheremur.*

Voluit S. Willibrordus Frisicam Ecclesiam planè conformare Ecclesiæ Romanæ, vt quasi ei à Deo dictū sit quod Moysi in ædificando & disponendo tabernaculo; *Inspice & fac secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est. exodi 25.*

## De S. Wilfrido.



Oc tempore Northumbriæ Episcopatu secundò pellitur S. Wilfridus, vir alternante fortuna plurimum iactatus ac in exemplum patientiæ natus. Pulsus prædicat apud Anglos mediterraneos annis decem, ibidemque Episcopatum Legecestrensem administrat, sicuti in prima expulsionem administrat Selesiensem inter Australes Saxones. Huius libenter & gratè reminiscimur & copiosius postea laudabimus, tum quod fundator sit monasterij Rhipensis in quo S. Willibrordus iuuenis est educatus, eruditus ac religiosè conuersatus vsque ad 20. ætatis annum, adeoque verus Abbas eius fuit.

fuit, licet possessione sua frequenter priuatus: tum quod in Frisia nostra prædicarit, inchoans, teste V. Beda, quod S. Willibrordus cum suis postmodum perfecit.

## DISSERTATIO XLIV.

De exilio S. Lamberti amici S. Willibrordi & cooperatoris.

**S**anctus Lambertus S. Willibrordi fautor, promotor, auxiliarius, amicus & familiaris hic nobis commemorandus. Is nobili ortus parentela à cunabulis omni pietate politus tandem ad Episcopalem dignitatem Tungrensis Ecclesie sublimatur Episcopus 29. in locum B. Theodardi Martyris Magistri sui anno 658. vel iuxta tabulas Bucherij & Ioannis Roberti anno 656. quo tempore huic mundo producit S. Willibrordus, quasi diuina prouidentia Apostolico viro futuro, ac in Austrasiam olim venturo S. Lambertum modò aptaret, qui exercitatis sensibus, prudentia, consilio, ope, autoritate ei præstaret.

Regibus Francie desidia torpentibus Ebroinus quidam Maior domus nimia insolentia Franciam Austrasiamque miscebat, cui dum viriliter Antistites se opponunt, ab ipso exilio, morte alijsque pœnis mulcrantur. Inter hos S. Lambertus sede sua pulsus exulare cogitur.

De anno exilij duplex est sententia: vna recens, contigisse illud anno Christi 668. quã habet Bucherius in tabula Chronologica ad 1. tomũ Cheapea. sub his verbis: *Ebroinus cũ Theodorico Rege in gratiã redit. Fit maior domus. Inde ad vexandos suos inimicos se conuertit, Leodegarium, scilicet, & alios. Tunc quoque S. Lambertus ab Episcopatu detruditur & in Stabulaus Monasterium se contulit, intruso quodam Pharamundo per septennium.*